

Xg. 48.

DE THERMIS
VALDERIANIS
DISSERTATIONES
D U Æ.

AUTORE JOHANNE FANTONO,
REGII PRINCIPIS PEDEMONTII
MEDICO ORDINARIO,
Et in TAURINENSÌ Universitate
Practicæ Medicinæ Professore.



GENEVÆ,
Apud MARCUM-MICHAËLEM BOUSQUET
ET SOCIOS.

M. DCC. XXV.

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU RALLE

Xg 48



AD LECTOREM.

Lnter Pedemontii Provincias non ultimum locum obtinet Cuneensis, cuius pars altera fertili agrorum planitie latissime patet; altera in præruptos montes assurgit. In traetu montano positus est Valderiensis Pagus: procul inde milliaribus sex Aquæ Thermæ scaturiunt, quæ ob loci propinquitatem Valderianæ dicuntur; vetustissimis,

* 2 vide-

IV AD LECTOREM.

videtur, temporibus ignotæ, nec ad aliquam hominum utilitatem traductæ, fortasse ob secretionis desertique loci positionem; cum nulla ibi antiquitatis monumenta reperiantur. Discimus tamen, eas a patrum nostrorum memoria quotannis frequentari solitas esse; atque ad potum, ad balneum, ad sudationem, ad stillicidium adhiberi. De hisce fontibus saluberrimis olim scripserunt eximi in arte medica viri, & populares nostri Viottus, Bianzales, Leveronus, Gallina; in primisque Barisanus, Sabaudiae Principum Medicus, ante hos quinquaginta annos Tractatum absolutissimum edidit, in quo
Bal-

AD LECTOREM. v

Balneorum historiam accurate
describit, eorumque usus &
facultates ad cœlum usque mi-
rificis laudibus extollit. Ita-
que obscurum Valderiensium
Aquarum nomen cœpit præ-
terita ætate clarere, & excel-
lentium Scriptorum autoritate
plurimum augeri. Tum vero
præcipue earum fama apud
gentes omnes percrebuit, cum
VICTORII AMEDEI REGIS
AUGUSTISSIMA MATER
propter infirmam valetudinem
ad illa eadem speciatim Bal-
nea, aliis posthabitatis, ex præf-
tantium Medicorum sententia
se contulit: quæ Ipsi revera
maximo ad sanitatem adjumen-
to fuerunt.

★ 3 Com-

VI AD LECTOREM.

Commemoratos autores, &
præsertim Cl. Barisanum Re-
centiores ad unum omnes se-
quuti sunt, quasi Veterum
curæ diligentiaque adjici nihil
posset. Nos vero, qui expe-
rimentis, quam aliorum com-
mentariis, naturam & qualitates
Thermarum doceri malumus,
observationes nostras in Valde-
rienses confecimus, easque ad
Amplissimum Virum J. M.
Lancisium per Litteras misimus:
qui pro sua erga me singulari
comitate ac benevolentia labo-
rem meum probavit, non mo-
do, sed etiam hortatus est, ut
expolitum publici juris facerem.
E vivis migravit Archiater Sa-
pientissimus: quo sane gravissi-
mo

AD LECTOREM. vii

mo & acerbissimo casu dolet
adhuc Ars nostra, æternumque
dolebit. Nec satis unquam
dignissimum immortalitate vi-
rum commendabo cum prop-
ter exquisitam eruditionem,
doctrinam, animi candorem,
liberalitatem; tum maxime ob
præstantissima consilia, quibus
studia nostra adjuvare solebat.
Ego autem susceptas de Valde-
rianis Aquis binas Dissertatio-
nes, ejusque clarissimo nomini
inscribendas e manu abjeci; at-
que num etiam abjectæ & in-
cultæ jacerent; nisi amici qui-
dam, doctissimique homines
otium meum excitassent: qui-
bus propterea multas testor, &
habeo grates, mihi que ipse in-
cre-

VIII AD LECTOREM.

credibiliter gaudeo , quod per eos datum fit præclarissimi , ac de nobis optime meriti viri sempiternam memoriam recolere. En tibi igitur , Humanissime Lector , commentationem nostram in Thermas Valderianas brevi & contracto stylo exaratam. Æquo libentique animo legas. Si tibi eam probari intellexero , alteram de Gratianis sive Aquensisibus Sabaudiæ Thermis inchoatam majori cum alacritate fiduciaque perficiam.



D E



DE THERMIS
VALDERIANIS
DISSERTATIO I.

*AMPLISSIMO VIRO
JOHANNI MARIAE LANCISIO
CLEMENTIS XI.
PONTIFICIS MAXIMI
ARCHIATRO.*

JOH. FANTONUS S. P.



Ribus abhinc annis Valderianas Thermas eo consilio profectus, ut in eorum naturam, & qualitates diligentius inquirerem; saepius ab eo tempore animum induxi Dissertationem ali-

A quam

2 DE THERMIS VALDERIANIS

quam de hisce Thermis tibi , Vir Amplissime , dicandam conscribere. Quam ego provinciam aggredi cum multis hactenus negotiis impeditus nullo modo potuerim ; nunc demum illud otii , quod mihi peroptato datum est , in hac præfertim re insumendum esse decrevi. Neque primas tantum observationes , quas tum in adversaria retulimus ; sed recentes quoque de Aquis huc transvectis , earumque sedimentis habitas nostra complectetur oratio ; quam spero neque inutilem , neque injunctam Medicinæ Studiosis futuram , ut pote novis experimentis , & phisicis ratiocinationibus refertam , quæ in Aliorum commentariis desiderantur. Cæteri enim Scriptores doctrinam rationemque Veterum sequuti vix quicquam effatu dignum de nativa hujusmodi Aquarium constitutione , imo quamplurima commentitia litteris prodiderunt. Quanquam is ego minime sum , qui hoc opusculum ita erroribus vacuum , ita excultum , atque elaboratum putem , ut eruditorum quoque hominum gratiam mihi conciliare posse confidam. Hac de causa , Suavissime Lancisi ,
id

id ipsum ad te mitto & studiose a te
perlegi, emendarique cupio priusquam
in publicam lucem emittatur. Neque
ignoro, quam libenter totum hoc onus
laboris atque officii, pro homine tibi
addictissimo suscepturus sis.

Valderienses Thermæ ex præruptæ
Rupis clivo plurimæ scaturiunt; qua-
rum aliæ superiores sunt, aliæ inferio-
res. Ex superioribus ad Potum & Bal-
neum dñæ potissimum adhibentur adeo
calidæ, & quasi urentes, ut eas im-
mersi digiti ferre vix queant; &, qui
bibunt, paullulum hærere soleant, an-
tequam calicem labris admoveant. In-
feriores autem continuo epotæ nullam
molestiam afferunt: Licet potationi ra-
rius, lavationi crebrius destinatæ, ad
fudatorium præcipue deducantur. Im-
misso in calidores Thermometro liquor
a gradu tricesimo ad sexagesimum ce-
lerrime elatus est, qui multo altius in
longiore tubulo ascendisset. Neque unus
idemque calor semper deprehenditur;
quod cunctis fortasse Thermalibus com-
mune est. Quare a Balneorum Minis-
tris cum judicium exquirerem de gra-
du caloris eo tempore, quo ibidem

*Thermæ
Valderianæ
caloris gra-
du inter se
differunt.*

A 2 com-

4 DE THERMIS VALDERIANIS

commorabar (erat autem Julius mensis jam declinans Anni M D C C X V .) omnes ad unum asserebant superiore anno, pariterque Julio finiente calidores Thermas extitisse ; idemque Balneantes quidam propria experientia confirmabant.

*Hætherma-
les sulphu-
reæ sunt.* Singulæ omnino perspicuæ , leviore que sunt aqua Torrentis , in quem proxime confluunt ; et si non nihil sulphureum & grave redolent , quod in vicinia Fontium percipitur ; hinc primi præsertim haustus palato & naribus iucundi. Cum his nihilominus subacta farina , uti cum aliis Thermalibus sit , optimus panis , nulloque modo insuavis , imo fapidus concoctuque facilis paratur ; nam vapor ille graveolens coctione , penitus evanescit. Ac Pistorum testimonio scribit Pascalius pastam citius turgescere Borboniis Thermis , quam aqua communis adhibita , levioremque panem , & fapidorem confici : fecus vero accidere , si fixo tantum sale earumdem aquarum in panificio utantur. Ex quo manifestum est , a sulphuris & salis volatile actione effectus illos , quos antea meravimus , proficisci. Porro sulphurea materies nostris in Thermalibus tactu ipso

ipso deprehenditur ; eās enim summis digitis explorans nescio quid unguinofum attingere tum maxime videbar , cum in labris eādem paulisper restitissent. Facile namque in sensum incurruunt sulphureæ particulæ in aquoso latice diffusæ , dum liquoris imminuto motu minus voluntur , paulatimque aliæ aliis invicem accedunt ; ut etiam cum terrenis partibus colligatae , gravioresque factæ tandem subsident. Idcirco in canalibus , per quos aquæ deducuntur in Balnea , in Receptaculis , & prope ipsos fontes variæ passim concretiones pinguis materiæ formantur. In ligneis aquæductibus nonmodo sulphurei , albidi , & aliquantulum rubescentes flocculi occurunt : Sed (quod profecto mireris) pars illorum concava candidam , levem , lucidam , atque elegantissimam superficiem exhibet : ut quasi tenui Lamella *Matris perlarum* , vel serico panno denso , ac levigato , quem vulgo *Satinum* appellant , obducta videatur. Præterea in eo canali , qui aquas ex altera inferiorum scaturiginum ad Lavacrum dicit , alblicantis materiæ crassiores floccos inveni. Sed

6 DE THERMIS VALDERIANIS

paucula hujusmodi materia est , quæ in aquæductibus calidiorum Thermiarum subsedit ; nam hæ rapidius fluunt , ligneique canales transfacto æstivæ balneationis curriculo removentur , & cohærens mucus abstergitur . Tantillum quoque cœnum unguinosum in labris reperi solet ; ubi majori tamen copia colligeretur , nisi aqua frequenter in iis commutari deberet .

*Corpora
quædam
mollia &
spongiosa ,
que vulgo
Muffæ di-
cuntur .*

Alia quædam pinguia corpora vulgo *Muffæ* , in vicinia Fontium & eorum defluxu , ipsisque saxis inhærentia pa sim cernuntur . Hæc mollia sunt , spon giosa , thermalibus satura , ut fumum continenter emittant . Plurima invenias non solum magnitudine & figura , sed etiam colore discrepantia ; alia sublutea , alia virescentia , alia subrufa , aliaque ex his mixtum colorem referentia . An madverti ea potissimum generari , ubi tardiore motu Thermalis defluunt , ubi que ex parvulo stillicidio eadem guttatum cadunt , ac super lapides congregantur . Ita ex eminenti saxe margine pendulum ejusmodi corpus cylindri forme aliquando observabam , quod spithamam longitudine , crassitudine pol.

D I S S E R T A T I O I . 7

pollicem æquans in acumen disinebat :
a quo iterum decidentes guttulæ in sub-
jectorum lapidum planam superficiem
multas insuper gelatinosas , & amplas
concretiones veluti Placentas effecerant.
Sed aliæ minores brevioresque *Muffæ*
ex oris lapidum pendentes , atque a
tenui filo cadentis aquæ productæ plu-
ribus locis occurreabant ; quemadmo-
dum vigente bruma cum a tectis , vel
aquæductuum fissuris gelida defluit , pen-
dulos glaciei cylindros , aliosque aliis
longiores ameno spectaculo videmus.
Et ea quidem *gelatinosa* corpora scitius
fieri , & incrementum capere hyemali ,
quam astivo tempore , verisimile est.
Siquis autem per illam maxime tempes-
tatem in eo loco diutius permaneret ,
atque hujusc rei studiosus fese ad fon-
tes identidem conferret , is facile pers-
piceret , qua ratione procreari cæpe-
rint , quantoque temporis spatio sic au-
geantur *Muffæ* , quæ a deciduis gut-
tulis Thermarum producuntur. Mihi
saltem in eo satisfacere potui , ut gra-
dum caloris illorum corporum indaga-
rem. Globo Thermometri in pendu-
lis posito liquor ad gradum quin-

8 DE THERMIS VALDERIANIS

quagesimum tertium ascensit, qui ante proximus erat quadragesimo tertio. Sed impensis ea calebant, quae plana & placentis similia sunt, neque ab exiguo stillicidio genita, sed a modica copia tardissime fluentium aquarum. Intruso enim in haec corpora alterius Thermometri globo liquor, qui tricesimum gradum non superabat, tulit se ad quinquagesimum quintum.

*Valderianæ
Therme lu-
sis carent.*

Quibus autem viribus praedita sint, & quem usum habeant in curandis morbis, alibi singulatim dicemus. Nam luti vices supplere possunt, quod in Valderianis Thermis desideratur; harum nempe scaturigo, & defluxus in faxeo clivo est, ubi terrena & apta singendo luto materies deficit. Olim quoddam coenum parare artificiose studuerunt, quod etiamnum in fossa pene neglectum & pauculum supereft. Et quamvis ex translato aliarum thermalium luto, vel advecta saltē argilla instaurati posse videatur: vereor tamen, ut hisce aquis par sulphuris & salis copia sit, qua insigne medicamentum comparari queat, vel parem efficaciam dudum retinere. Neque superiores

riores ad hoc opus idoneo loco thermales sitae sunt, quæ propter magnam vim caloris ad conficiendum lutum essent aptiores. Porro id maxime requiri ad ejusdem præstantiam puto, ut fontibus subter salientibus terrestris massa aquiliter calefiat, quin imo ebulliat, primosque halitus subtiliores emergentium aquarum recipiat præter crassamenta, quæ ibidem resideant. Quia tamen de re tibi, Eruditissime Lancifi, aliisque in hac Physicæ parte versatissimis viris judicium relinquo. Ego enim iis tantummodo Thermis adsui, quæ lutis carerent; ac talia esse naturæ opera fatis intelligo, de quibus nemini licet confidenter quicquam pronuntiare, nisi suis ipsem oculis eadem accuratissime perlustraverit.

Sed unde paululum divertimus, jam illuc redeamus. Valderiensium aquarum sulphur odoratu, gustu ac tactu ipso percipi dicebamus; quod aliis insuper certissimis notis atque experimentis dignoscitur. Primum si aurei & argentei nummi calidis mergantur, illi saturo magis colore splendescunt; his fœdi, obscurique fiunt. Deinde flo-

*Iterum sul-
phur hisce
aquis inesse
ostenditur.*

10 DE THERMIS VALDERIANIS

culos & concretiones supra commemo-
ratas ex pingui materia constare haud-
quaquam dubitandum est ; quippe quæ
a *Muffis* natura non differant , quarum
mucositis terrenisque partibus sulphur in-
volutum esse manifesto comperi . Ni-
mirum eas in clibano siccari jubebam ;
cumque aridæ omnino essent , & in
parvam molem redactæ , lumini cande-
læ objiciebam : primum accendi coepe-
runt , simulque frequentissimos crepitus
edere ; tum ex iis flammula parumper
surgebat ; ac tandem omni ustione ab-
soluta modicum cineris relinquebatur .
Initio autem , quod præterire nolumus ,
excitabantur innumerabiles vesiculæ ob-
internum aerem vi ignis rarefactum , e
quibus explosus crepitus illos efficiebat .
Neque adeo hic effectus repetendus
erat a sulphureo-nitrosis partibus , ne-
que a salis communis , & sulphuris so-
cietate . Illud quidem animadvertere
libuit , cum *Muffas* comburi adsperso
sale nitro curarem , ustionem non so-
lum augeri , magisque expandi , sed
flammam quoque cum aliqua *fulmina-*
tione altius assurgere . Quo loco id
minime admonendum putarem , salni-
trum

trum hisce aquis, earumque sedimentis nullum prorsus inesse, nisi vir quidam, in chymicis laboribus alioqui versatus, idipsum pluribus a se habitis experimentis perspectum sibi fuisse dixisset. Sed rudem omnino in rerum naturalium scientia eum esse oportet, qui ex ulla fontibus salnitrum elici posse affirmet. Neque enim de nitro Antiquorum loquimur, quod a nostro longissime discrepat, & cuius similis est sal Valdrenium, aliarumque Thermarum, at certe non omnium, ut aliqui Recentiores arbitrantur.

Jam ad ea tentamina progrediamur, quæ variarum rerum permitione cum Aquis primum calentibus; postea refrigeratis, atque transvectis; postremo cum earum sedimentis instituimus. Cällidas igitur neque spiritus salis armoniaci, neque gallæ pulvis ullo modo immutavit; at syrpus violarum viridem iis colorem pulcherrimumque conciliabat; turbidæque & albicantes factæ sunt a mercurii sublimati solutione. Quæ postrema duo experimenta salem alkalicum apertissime demonstrant. In aquis porro superiorum, inferiorumque sca-

*Experimenta
in Thero-
mis habita
ad scaturiri-
ginem.*

tu-

12 *DE THERMIS VALDERIANIS*

turiginum cum chalcantho & alumine
commisisti nulla mutatio contigit. Sed
vitrioli spiritum cum paulo largius in
Thermas infudisse, brevi calicis fundum
petiit aquila terra granorum duorum pondere.
Quo tamen iterato ex-
perimento vix aliquæ terrestres particulae
confederunt.

*Observatio-
ne de aquis
transvectis.*

Nunc de Thermis dicamus, quas
huc afferri in vitreis lagenis curavimus.
Singulas exacto mense insipienti multi-
plices observabantur cinericiae membranulae,
veluti Araneorum telae alicubi si-
mul convolutae, & aquis innatantes,
ut opacum corpus efficerent. Turbida,
& albicans unius ampullæ aqua inven-
ta est cum paucissimis pelliculis, sed
quodam mucore in fundum demisso.
Cæterum Thermen in vasis rite oc-
clusis servatae vel pellucidæ erant, vel
tenuioribus membranulis refertæ; odo-
remque sulphuris vixdum spirabant.
Ergo in his, facto periculo, alkalici
falsi obscuriores notas deprehendimus.
Etenim a syrupo violato non viridem,
sed glaucinum colorem, & quidem le-
vissimum recipiebant; nihilque a solu-
tione mercurii sublimati mutabantur.

Cum



Cum sale saturni sensi pallidæ , hinc turbidæ , & albicantes apparuerunt , ut fere solet in aquis vel minime falsis accidere. Oleum tartari nullam iisdem alterationem attulit. Denique in quadam Lagena cum sex ad minimum uncia Thermarum supereffent , eam accurate occludi , solaribus radiis exponi , ac saepius commoveri ad contentum laticem agitandum curavi , ut , residui salis si quidpiam parietibus aut fundo vasis inhæreret , eadem aqua totum eberet. Repetita experimenta parem eventum semper habuerunt.

Sequuntur ea , quæ pertinent ad sedimentum per evaporationem Aquarum elicitum , quod subrusseum est , saporisque subacris , & falsii ; ideoque miror nonnullos insipidas Valderiensium aquarum feces dixisse. Ad colorem quod spectat , varius esse solet pro diverso ignis gradu , qui ad aquæ evaporationem adhibetur ; quare aliarum thermalium terrenam fecem aliquoties compcri modo russeam , modo cinericiam . Jam sedimentum , quod diximus , primo commiscebam cum spiritu salis , tum vitrioli , postea nitri ; & cum singulis

*Sedimentum
thermale
terrestris
vitrioli &
salis.*

14 DE THERMIS VALDERIANIS

*Mutua ratio terre,
salsis &
aque ther-
malis.*

*Note salsis
alkalici.*

gulis prompta & brevis effecta est fermentatio. Deinde ex eo salem, qui urinosum odorem quodammodo exhalabat, per lixivium eduxi. Hujus vix unum granum in unciis aquæ decem contineri calculis subductis deprehendi; terræ autem insulæ triplo majorem quantitatem. Eam tamen sedimenti materiam non torrefactam conficiendo lixivio adhibui, ne ullam sali alterationem ignis inferret; etenim per calcinationem minime dubito, quin copia salis aliquanto major elici potuisset. Hunc ergo salem, excitato intestino motu, innumerisque bullulis, spiritus vitrioli dissolvit. Limpida mercurii sublimati solutio eodem adjecto sale nonnihil turbatur, & expallescit. Verum tamen in solutione salis saturni, cui nostrum salem adjecimus, albedo, & major turbatio, tum crassamenti precipitatio subsequitur. Syrupus violaceus viridem ab eo sale colore acquirit. Porro cum charta coerulea ab acido liquore rubicundum colore traxisset, aqua communis thermali sale fatura coeruleum colore restituit. Postremo in aqua pariter salsa, eique admisso gallarum pul-

pulvere mutatio nulla. His pauca subjiciam de terrestri materia suo sale orbata, cuius minima pars est, quæ ab aceto distillato dissolvatur; subita cum spiritu nitri fermentatio fit; vix ulla cum spiritu *vitrioli*. Gallæ tinteturam diligenter cum hac terra in pollinem redacta permiscebam, nihilque ejus color immutabatur; tum super eum pulverem cum lenissime magneticum cultrum circumferrem, nullam prorsus particulam cultro accedere animadverti.

*Terra non
nihil alkæ-
lica.*

Præter id genus salis, terræque aliud quicquam in Valderianis Thermis frustra quæsieris. Hallucinati enim sunt, qui plura fossilia in iis enumerant, sallem communem, Nitrum, Rubricam sinopicam, Alumen, Ferrum, atque Chalcanthum. Quod multas res animo effinxerint ab effectibus Aquarum petitas, quos in curandis morbis observarunt, id quidem ignoscendum illis videtur. Sanioris enim philosophiæ, & chymicæ artis lumen priscis Scriptoribus nondum illuxerat; ac serius eam, quæ in physicis experimentis scientia versatur, ad naturam & qualitates mineralium aquarum indagandas Medici tra-

du-



16 DE THERMIS VALDERIANIS

duxerunt. Sed nullam excusationem habent, qui concretos ad marginem & fissuras canarium sales, præcipue nitrosos, se oculis vidisse asseruerunt: cum nihil his simile unquam viderim, qui saepe ad illos Aquæductus curiose perlustrandos adivi.

Tria in Aquis fossilia.

Tria duntaxat hisce Aquis fossilia continentur, sulphur nimirum, alkalicus sal Veterum nitro analogus, Terraque alkalinae indolis; siquidem nihil cum aceto distillato, vix, quod sensu percipi possit, cum *vitrioli* spiritu; at vero cum spiritu nitri continuo effervescit. Sulphuris copia modica est, cuius posterior pars facile vi ignis exhalatur, quemadmodum in panificio animadvertisimus: vel tractu temporis paulatim in auras abit; quod in translatis Thermis observatum est. De salis fixi, terraque mutua ratione jam diximus. Sed insuper calidis ineft ejusdem alkalici salis portio quædam subtilissima, quæ in sedimento inveniri non potest, ac ne diu quidem in ipsis Thermalibus retineri; a quibus scilicet sua sponte fugit atque evanescit; uti allato experimento constat, quod in transvectis aquis confici-

Salis alkali pars quædam volatilis.

mus

mus. Neque enim viridem illum, pulcherrimumque colorem, uti ad scaturiginem vidimus, sed glaucinum solummodo cum syrupo violato suscipiunt, neque cum mercurii sublimati solutione albescunt.

Perspecta Valderiensium Aquarium inde facillime quisquis intelliget eas non solum utiles percurandis morbis esse, quibus in universum Calidæ omnes adhibentur: sed propter modicam sulphuris, minimamque salis quantitatem longe aliis quibusdam Thermis præcelere ac tutius usurpari; quotiescumque a nimia exagitatione sanguinis humorumque colliquatione timendum sit. Quod utique multorum hominum experientia comprobavit, qui vel natura infirmi erant, vel tenui corporis habitu præditi, vel a morbo debilitati. Quibus scilicet nullam non modo noxam cum potus, tum balneum attulit, sed eos magnopere utrumque adjuvit; sive stomachi vicio, sive obstruktione viscerum, sive icterico morbo, sive renum mucilagine & arenulis, sive diuturnis febris, sive aliis denique pervicacibus malis laborarent. Quid quod eximius olim Medicus Be-

*Thermæ
rum virtus
in curandis
morbis.*

B nessia

18 *DE THERMIS VALDERIANIS*

nessia non viris tantum septuagenariis
potum & balneum valde proficuum ex-
pertus est ; sed quadriennes quoque ,
imo triennes Pueros toleranter utilissi-
meque iisdem thermalibus usos fuisse
testatur ? Quibus observationibus pa-
lam fit temere damnari minerales aquas
ab iis , qui indiscriminatim singulas sin-
gulis nocere contendunt. Profecto in
macilentis hominibus , quorum præ mul-
titudine pharmacorum , vel acerbioris
morbi diuturnitate jam exolutæ sint vi-
res , hoc genus auxilii nemo unus pro-
baverit ; quod eos nullo pacto adjuva-
re , imo celeriter possit ad interitum
perducere. Qui autem non admodum
firmo , sed exili aridoque corpore , vel
acri adustoque sanguine vel calidis , ut
ajunt , visceribus sint constituti , non
continuo calidarum omnium potus ei-
dem interdicendus est. Quamquam
enim hi ab usu thermalium merito pro-
hiberi soleant , attamen docti ac pru-
dentis Medici officium est a generali-
bus aliquando præceptis declinare , at-
que in Thermarum genere alias ab aliis
secernere : tum quædam medicamenta
ita ægrotantibus accommodare , ut in

eo-



eorum commodum possint converti. Et sane Thermas quibusdam naturis inimicas esse negandum non est, quæ sulphureis partibus, maximeque salinis refertissimæ sint, in quibus etiam Valdrianas humerabimus, si communī sale adjecto, quod in more positum est, usurpentur. Is autem, quem supra laudavimus, in thermalibus hisce administrandis apprime versatus, atque industrius Benessia per sepe infibecillis, & macie affectis modica dosi, rejectoque sale easdem utilissime exhibere consueverat; tum eas temperari semiñibus pessonum cum tantillo facchari interdum jubebat. Qua fere methodo in curandis eorum morbis utebatur, qui calido Jecoris aut Renum temperamento, ut cum Veteribus loquamur, prædix esent.

Ceterum Valderienses Aquæ sive puræ, sive addito stimulante pharaco, quod modo alvum aperiat, modo urinæ secretionem promoveat, ad morbos supra commemoratos, aliasque graves ac difficillimos commode adhibentur. Longum esset omnia singulatim exponere, quæ nobis cognita &

B 2 perf-

20 DE THERMIS VALDERIANIS

perspecta sunt, quæque insolita & admirabilia saepe ab aliis accepimus; et si horum plurima ejusmodi sunt, ut difficile sit a falsis vera discernere. Illud quidem animadversione dignum videtur, quod de rara celticæ luis curatione tradidit Barisanus. Duorum hominum historiam recitat, quorum alter inveterata gonorrhœa, alter callosis ulceribus ani, & in ambitu corporis vexabatur. Utetrumque dicit a potu & balneo integræ propemodum valetudini restitutum Valderio discessisse. Sed eo adduci non possum, ut firmam stabilemque sanitatem eos esse consecutos mihi persuadeam; quandoquidem fieri solet, ut etiam ab idoneis & efficacibus pharmacis tantum aliqui levamen, & adjumentum obtineant, ut optime valere credantur, quorum nihilominus ægritudo habitis induciis recrudescit. Altera vero ex allatis observationibus vana prorsus censenda est, cum pluribus in membris defixam lateque serpentem luem thermales prius tollere non queant, quam pars maxima veneni specificis medicamentis expugnata sit. Atque adeo, quos pestis illa vehementer affigit, iis

ad

*Therma-
rum usus
in morbo
venereo.*

ad medicatos fontes temere acceden-
dum non est ; utrumque enim nonnul-
lis aliquid levaminis attulerint , certe
quam plurimis noxii fuerunt , aliis etiam
lethales. Sed ne illud quidem omit-
tam , quod ab eodem Autore prodi-
tum est de ulcusculis & fungosis , uti
vocat , Urethræ tuberculis , quæ scili-
cet epotis thermalibus cum omnium ad-
miratione absunta penitus fuerint. Hac
de re quicquid alii senserint , ego Ther-
mas in potu , aliisque modis adhiben-
das probo , si ulcerosa labe urethra la-
boret : at eam curationem plane inuti-
lem puto , nisi primus ac præcipuus an-
tivenereis medicamentis locus conceda-
tur. Hac , inquam , servata lege id
genus ulcera , nisi margines indurue-
rint , sanabilia videntur. Quibus dein-
ceps ulceribus si recentissima cicatrix
inducta sit , quæ partem aliquam cana-
lis angustiorem effecerit ; tum quoque
illam medicinam fore perutilem censem.
Urethra nempe laxari , atque molliri
potest copiosis haustibus aquarum , bal-
neatione , fotu , injectione ; unde ex-
peditor urinæ aditus comparetur.

De his hactenus. Ad rationem bi-
B 3 ben-

22 DE THERMIS VALDERIANIS

bendi Valderienses Aquas veniamus.
 Cum pauculo sale , sulphureis etiam
 partibus implicito , præditæ sint , non
 æque in omnibus per alyum , aut urin-
 arias vias secedunt. Quapropter so-
 lent , ut antea meminimus , salem com-
 munem illis adjicere , & quoddam su-
 binde catharticum , præsertim Mechoa-
 cannam vel Jalappam in primo haustu ;
 vel ad cenam pilulas aloeticas sumere.
 Cl. Guigonius in locum marini salis ,
 cui gemmeum anteponendum puto , cre-
 more tartari utebatur. Aliqui hortan-
 te me tartarum solubilem feliciter sunt
 experti ; tum salem mirabilem Glaube-
 ri , tum etiam Ebeshamensem , quem
 Anglicum vocant. Quamquam nos mi-
 nime latet salem , qui anglici nomine
 circunfertur , vilique pretio venditatur ,
 nativum non esse , sed vario artificio
 a chimicis præparari ; eumdemque a
 nonnullis ex marino sale confici Cele-
 berrimus Mangetus existimat. Sed alii
 alias sales componere , quos polychres-
 tos appellant , cum sale marino , cum
 borace , cum tartaro , cum nitro , cum
 alumine didicerunt. Eiusmodi autem sa-
 les ad alyi , urinæque aperiendas vias

ap-

*Ratio bi-
 bendi aquas
 Valderien-
 ses adjecto
 præsertim
 sale.*

aptissimi sunt ; quæ sane evacuatio plenis & obesis hominibus , quorumque viscera lenta bile , & pituitosa mucilagine obducta sint , mirifice convenit. Quare in his , cum paulo acriores stimulos Thermis addideris , res belle procedit. Verum nemo certe ignorat aliam esse rationem imbecillis & gracilibus ineundam ; & qui fibris viscerum exilibus , & exquisiti sensus sint constituti. Quos Valderii vidimus , nullo naturæ morbique discrimine habito , plerique omnes antiquum bibendi morem sequabantur. Primis a purgatione diebus sesquidrachmam marini salis singulis aquæ libris adjiciebant ; deinde triduo , vel quadriduo utebantur faccharo ; post salem una alteraque die ; denique catharticum , ut initio , præcipue mannam recipiebant. Animadverti multos aquis falsis utentes , quod cibi fastidio , & permolesta siti vexarentur , idcirco panem tostum vino madidum sumere ; intereaque bibendi caussa follicite prandium expectare. Verum quid opportunius ,quam de sale partem aliquam detrahere ?

Præter hunc salem , & frequentia

B 4 ca.

24 DE THERMIS VALDERIANIS

*Corporis
mores, aut
quies in usu
Therma-
rum.*

cathartica usurpari solita , Balneorum Ministri cursum velocem ad singulos Thermarum haustus suadent ; imo tri- pudium & saltationem , ut copiosa & celeris aquarum secessio promoveatur. Nos autem alios hortati sumus , ut le- niter deambularent , alias , ut quieti manerent ; & utrique moderatam , nec ita subitam inanitionem longe commo- dius tulerunt. Quin imo aliis in lectu- lo jacentibus feliciter evenit ; uti fre- quenter in iis observavit Benessia , qui morbo impediti , nulloque modo am- bulationibus idonei continenter sedere , vel omnino decumbere cogerentur. In- super ad ipsas scaturigines tanquam le- ge aliqua coacti propemodum omnes bibunt ; & quidem recte , si nihil eos prohibeat : aliqui vero quam temere & periculose , qui sudore madentes domi manere recusent ? multoque magis qui in aere frigido , aut flantibus ventis in aperto loco non tam spatiantur , quam cursitant ? Sæpe enim frigidior aura , nec raro venti in eo tractu derepente consurgunt , a quibus diligentissime ca- vendum est. Nam febris facile subo- ritur , quæ promota diaphoresi quan- quam

*Bibendum
modo ad
fontes , mo-
do etiam
numi.*

quam remittere soleat, hinc tamen graviores morbi interdum consequuntur.

Inter eos, qui Valderianas biberent, per paucos memini, quibus vomitionem excitaverint. Laudatus modo Beneficia plurimos sua ætate novit, qui primis diebus usque ad sextum aquas magna ex parte rejicerent; sed eos vel repugnantes jubebat quotidie ad fontem redire, quibus consistente demum Stomacho res prospere succedebat. Stomachicis pharmacis non utebatur, neque ægrotantibus auscultabat, qui curbitulam epigastrio apponi rogarent, certior per experimenta factus sponte sua vomitionem cessaturam. Nos autem suademos, ut qua die unum aut alterum poculum rejicitur, potus plane intermittatur, & in sequente renoveretur: Sic namque fiet, ut sine gravi labore Stomachus paulatim calidis assuecat. Quod præcipue in delicatis hominibus attendere oportet, ne imbecillæ naturæ vis inferatur. Et sane inter initia si assidue vehementerque excuriatur, & debilitetur ventriculus, quis bene ac toleranter incœpta prosequi, totumque potationis curriculum absolvere possit?

*In vomitus
a quarum
quid consi-
lit capien-
dum est*

Ne-

26 DE THERMIS VALDERIANIS

Neque igitur Ægrotos ab usu thermalium absterrere debet vomitus , qui in principiis supervenerit ; neque humoris per alvum , aut urinarias vias tarda & difficilis excretio. Hoc enim primis diebus accidere aliquando mirum non est in sicca viscerum totiusque corporis intemperie. Primum pauca excernuntur sine ullo saltem gravi ægrorum incommodo ; deinceps magno cum fructu liberalis evacuatio obtinetur. Quod Cl. Barisano , viro gracili & sicco , & Icteritia laboranti contigit , qui tridici fpatio , cum satis copiose bibisset , vix quicquam thermalium aquarum excernebat : interea tamen nullo symptomate correptus , præter cutis calorem ac levem pruritum , ad quintam diem perrexit : qua tandem lotii profluvium incœpit ; hinc reliqua curatio fauste feliciterque ad ultimum perducta est. Sunt etiam , quos sera evacuatio sollicitos habet , quando sub vesperam nocturnaque tempore pars major aquarum secedit. Tales ipsem vidi , quibus certe roquin assiduus Thermarum potus admodum salutaris fuit. Siquidem ista secretio fere leniter fit , quia crassamen-

*A potu
aquarum
tarda excre-
tio humo-
rum perfe-
pe uilis.*

*foliorum
tis*

tis irretitæ manent Thermae solvendo
lentori , salibusque ebibendis , ut ita
dicam , occupatæ ; unde urina fatura-
tior effluere folet. At vero suspectam
omnino medicinam habere vulgus con-
suevit , nisi prompta , nisi velox aliqua
corporis inanitio sequatur ; imo nihil
magis requirere , quam ut maxime lu-
brica , & expedita sit alvus. Libenti
propterea animo sàpius iterata pocula
deplent , quos ad liberalem potum spes
unica allicit effusissima dejectionis obti-
nenda. Ita enim illi a natura compa-
rati sunt , ut cujuscumque morbi curatio
suscipienda sit , a subito & copioso ven-
tris profluvio sanitatem pendere arbit-
rentur. Veruntamen si elutis tantum-
modo Intestinis aquæ omnes ad alvum
festinent , quid , quæso , solatii , quid
commodi percipias , cum viscera & uni-
versas corporis partes illis irrigari , eas-
demque cum sanguine commisceri ne-
cessum sit ? Sed hæc generatim dicta
sunt : Cætera persequamur ad eorum
morem spectantia , qui Valderianas bi-
bunt. Et primum tribus quatuorve li-
bris plerique contenti sunt ; aliqui ad
quinque , aut paulo ultra progredium-
tur ;

Nimia
multorum
festinatio
in adhiben-
dis Ther-
mis.

tur; quidam vero vegetus vir duodecim libras vix horæ unius spatio haurire non dubitabat, ut etiam socios ad sui imitationem excitaret: quos tamen hortabar, ut moderatius biberent, eos imprimis qui prætumido obstructoque Jecore afficerentur. Quorum namque ventriculus nimia Jecoris mole comprimitur, hi largas potiones permoleste ferunt, & ad vomitionem faciliores sunt. Deinde paucorum dierum curriculo bibendi finem plerique faciunt, se sequentes a fontibus ad Balnea convertunt. Solent autem (quod suo jam tempore improbat Barianus) ubi laverint ad *Duciam* ire priusquam Sudatorium ingrediantur; cum eam postremo adhibendam esse doceret. Verum multo magis præpostera quorumdam festinatio in administrandis auxiliis omnibus reprehēnda est, ab iis præcipue servari solita, qui Medicorum consilio destituti ad Thermas se conferunt. Cum enim, longo aut iterato potationis usu percurandi essent, hanc nihilominus quam brevissime absolvunt, ad cætera avolantes præsidiorum genera. Ibi comorari, quantum oliceret, omnino recu-

cusant; interim omnia, quæ consuetudine recepta sunt, usurpare statuerunt. A potu currunt ad Balneum, ad Instillationem, ad Sudatorium; trans flumen migrant, & in balneo S. Luciæ semel immerguntur. Atque illi scopum attigisse sibi videntur, cum nihil a se prætermissum fuisse ostenderint. Sed vide, quæso, Vir Sapientissime, quam valde sint homines impatientes moræ? Vir quidam vegetus & lacertosus e longinqua regione Valderium venerat, qui ab annis duodecim matutino vomitu quotidie vexabatur, rejiciebatque biliosa & viscida: ex quo ejus valetudo imbecillis facta erat, & infirma. Vix per triduum Thermalibus epotis vomitio sic imminuta est, ut binos dies sine vomitu numeraret. Huic profecto nihil opus erat nostro consilio, siquidem sanari voluisse: qui tamen semel lotus, & Sudatorium ingressus abire voluit, frustra obsistente me, qui neque sudationis, neque balnei, sed assidui potus utilitatem summopere commendabam. Tum etiam Villicus provectæ ætatis, sed bene robustus aderat, qui dolorem, lassitudinem, gra-

vi-

30 *DE THERMIS VALDERIANIS*

vitatem corporis ex inveterato rheuma-
tismo conquerabatur. Prima die lavit;
altera catharticum & Aquas Thermales
sumpsit; tertia Laconicum adiit; die-
que insequente, cum paulo melius se
haberet, in patriam redivit, ut rei do-
mesticæ curam susciperet. Nonne præ-
ceps ista celeritas, & properatio stul-
torum hominum dicenda est, qui tan-
ta cum tolerantia, tantoque cum le-
vamine incœptam curationem temere
& inconsulto dimittant? & prior potis-
sum, vir integræ ætatis, neque egre-
tate, neque negotiis impeditus repre-
hensionem merito incurrebat, qui in
morbo tam diuturno, tamque obfirma-
to, ac permolesto, cum efficacem Me-
dicinam diu quæsitam, & probatissi-
mam invenisset, inventam tamen contem-
nit. Tu autem jam dudum nosti, Doc-
tissime Lancisi, non solum ab optimo
remediorum delectu, & certo quodam
ordine constituto (quod periti Medici
officium est) verum etiam ab æquabili
animo, & singulari constantia ægrorum
expugnationem cujuslibet tardi morbi
pendere. Quod præceptum cum ad
omne medicaminum genus, tum præci-
pue



pue ad rectum aquarum mineralium usum pertinet. Atque hic morem bibendi thermales a multis præstantibus viris, & præsertim a Cl. Blondello laudatum commemorabo. Ægrotos enim hortari solitus erat, ut Aquisgranenses ad tertiam usque hebdomadam fumerent, a libra una ad quatuor vel paulto plures sensim progrediendo. Cujus documenti occasione Engelbertum quemdam ad eos fontes accessisse meminit infimo ventre maximeque pedibus adeo turgidis, ut magnitudinem capitum æquarent. Triginta dierum spatium bibendis aquis patienter, placideque consumpsit, unciarum pondus quadraginta, vel ad summum quinquaginta nunquam prætergressus: qua potus ratione servata primo quidem modicum fuit urinæ profluvium; deinde vero tanta copia excrevit, ut una die librarum sexdecim mensuram aliquando superaret. Lubrica simul alvus erat; variaque, viscosa, & acris materia excernebatur: ac demum æger ventris, pendique tumore liberatus paulatim ad integrum valetudinem pervenit. Id certe frustra se assequi sperat quicunque

*Ratio bibi
bendi aquas
thermales &
Observatio
memorabili
lis F. Blondelli.*

32 DE THERMIS VALDERIANIS

que in usu Thermalium nimis propè
rat, seque immodicis haustibus obruit,
ut rem citissime conficiat. Quid, si stre-
nui aquarum potatoris famam stultissi-
me concupiscat? cuiusmodi exempla
quædam a Scriptoribus afferuntur: quam-
quam inter homines id genus intempe-
rantiæ rarissimum est. Plerumque enim
fit, ut longioris moræ, aut medicinæ
tædio, vel rei familiaris angustia hic
error sane gravissimus committatur;
quod de ægrotante scribit Blondellus,
qui diebus singulis Thermales bibere
ad uncias circiter quingentas sexaginta
veritus non est, ut temporis compen-
dium faceret. Quemadmodum illi ce-
ciderit, ab Autore traditum non est:
verum ab Wepfero accepit Vicarius
Rusticum Helvetium aquas omnes intra
statutum tempus adhibendas triduo
hausisse, ut impensis parceret, qui bre-
vi mortuus est. Sed nulla unquam æ-
tate, nulloque loco audacissimi homi-
nes defuerunt, qui temere usurpatis
medicamentis sibi mortem intulerint.
Tantum igitur in hoc præsidii genere
moderata cunctatio utilis est, quantum
præpropera festinatio solet in magnum
salutis

*Præcepta &
immodicis us
aquaarum
possum fere
perniciose.*



salutis vitæque discrimen agrótos conjicere. Atque ut ceteros Autores silentio præteream, qui minerales aquas diu bibendas præciperent, ad quatuor & amplius hebdomadas Borbaniis utendum aliquando esse dicebat Pascalius. Quæ quidem methodus ad eos maxime pertinet, qui leni medicina tractandi sunt, quique brevius, etiamsi velint, curari nullo modo possunt. Curationem vero sine intermissione tandiu protractam si quis ferre nequeat, breviorem in eo primum institui oportet, tum inducias fieri, post eamdem renovari.

His ita expositis de ratione potus Aquarum, quædam de Balneis observationes adjiciendæ sunt. Etenim, qui nostris in Thermalibus lavant, eos triclicher errare animadverti: quod paullum morentur in balneo; quod nimio calidioribus aquis mergantur; quod citius, quam par est, balneationis cursum absolvant. Primis lavatio vix quicquam prodest; nec valde postremos juvare potest: alteri vero errorem suum infelici fato experintur; quos nempe animi defectio ut plurimum in balneo corripit. Et quidem audaciae suæ pœnas

*Observatio-
nes de rati-
onibus
balnisi.*

nas dedit , quem supra meminimus
aquæ libras duodecim haurire solitum
fuisse. Cum enim in labrum ante se
demisisset , quam Thermæ deferbuis-
sent , non multo post ingens rubor fa-
ciei , pallor , sudor , tum gravis lipo-
thymia ei supervenit ; & nisi eorum
ministerio , qui assidebant , consestim e
folio educitus fuisset , cardiacis paulatim
recreatus , & lectulo collocatus , mor-
tem in Balneo forte invenisset. Porro
autem præcipua & maxima Balneorum
noxa ab immodico calore proficiuntur;
hinc cibi fastidium , fitis molestia , ca-
pitis dolor , vigilia , pectoris anxietas,
deliquia ; ut mirum videri debeat , ne
Medicos quidem ad hunc vulgi errorem
satis aliquando attendere ; in quos jure
meritoque invehitur Cl. Volkamerus :
*An intenso , inquit , Balnei æstu virtus
aquarum corporibus imprimitur ?* cuius
ardor certissime omnibus nocet ; utilitas
autem a moderato calore , a peculiari
conditione Thermarum , a convenienti
mora ægrotantium in Labro dependet.
Sed quatenus in Balneo morandum
usque dum , ajunt , sudor in fronte
emergat. Qui igitur nullo negotio su-
dare

dare solent, statim ne e folio extrahendi? Quibus vero perdifficilis est fudatio, num & hi signum illud expectent, & diutius, quam oportet, in folio permaneant? Itaque hoc praeceptum ad omnes ægrotantium species non pertinet. Loquimur autem de temperatis Balneis; quoniam in calidioribus, ut cuique notum est, celerime sudor evocatur; veluti de Balerucanis audi-
vimus, ubi ægroti ultra horæ quadran-
tem lavare vix queunt; adeo copiosus
sudor eos invadit. Ac talia profecto
temperari oporteret, ut commode usur-
pari possent: valdeque miror ferventes
quasdam Thermas, quæ passim celebra-
tur, carere tepentibus Balneis, quæ
saltēm delicato, & gracili habitu ho-
minibus necessaria videntur. Sed in
universum omnes, qui aquis ferventi-
bus se se immergunt, in utrumque dis-
crimen veniunt, ut nimio sudore dif-
fluant, utque animo delinquent.

Ad Valderiana Balnea redeamus, quæ semel in die, ac matutinis horis adhiberi solent, vespertina lavatione generatim rejecta. Qua in re Maisum plerique sequuntur, Medicum in eo

C 2 tractu

*Quoties
diebus fina-
gulis, &
quandiu
lavandum,*

36 DE THERMIS VALDERIANIS

tractu quondam celebratissimum, qui observationibus a se habitis spatio annorum triginta quinque omnino compert, duplum ad singulos dies lotionem ægrotantibus nocere. Idque a Cl. Barisano confirmatum est, qui per quadriennium ad eas Thermas profectus fere omnes admonebat, ut eodem præsidio semel in die uterentur. Nos autem clarissimorum hominum experientia & auctoritate freti quamvis ab illorum sententia non abhorreamus, præcipuam tamen repetiti Balnei noxam ad nimium ejusdem calorem referendam esse arbitramur; ut vespere etiam lavare quibusdam liceat, modo temperatis aquis mergantur. Imo saepe fit, ut quos una immersio in calidioribus lædit, his bina in temperatis utilis sit. Neque ullum mihi dubium est, plurium horarum balneationem in tepidis multo tolerabiliorem esse, quam per dimidiā horam in fervidis. Ad summam cum viris robustis, & contumaci morbo, præfertim cutaneo vexatis, paulo quidem severius, at jucunde leniterque cum infirmis & imbecillis agendum est. Et vero pro varia hominum cœli, ac ther-

thermarum natura, multis in regionibus diversa lavandi norma servatur. Hic semel, illic iterum singulis diebus descenditur in solium: alibi brevis in Balneo mora fit; alibi diurna: hic citius, illic serius curatio absolvitur. Ita Vicarius quinque hebdomadis, imo sex, septemve, modo quis non laedatur, lavandum praecipit. Quod summum tempus postulante morbo tutius atque utilius implebunt ægroti, si plurium dierum intervallo requieverint. Hac profecto ratione magnum adjumentum a Valderianis obtinerent, qui in aquis calidioribus parumper manere coacti, & citius defatigati non bene peracta curatione discedunt.

Sed mihi jam videor, Vir Amplissime, plurima passim ad practicam Medicinæ partem spectantia paulo confidentius pronuntiare. Neque enim ignarus sum, cuius viri præclara & excellenti doctrina, experientiaque judicium mihi subeundum sit. Tu vero scriptorum morem novisti, qui multis rebus, quemadmodum singulæ in mentem veniunt, ita delectari solent, ut explendi animi causa omnia in chartam conjiciant. Nos

igitur præsenti tuo consilio destituti occasione scribendi vela, ut ajunt, ingenio permisimus, ut quasi tecum liberime colloqui, tuamque sententiam rogare videremur, hanc enim Dissertationem, quod initio dicebamus, privatim perlegendam, atque emendandam ad te mittimus.

*Stupha, sc.
re Sudato-
rium, ejus-
que militas
et noxa.*

A Potu Aquarum & Balneo qui cistissime se expeditunt, ut plerique rustici, ac plebeii homines, non tamen a Thermis abire prius solent, quam semel aut saepius *Stupham* ingrediantur. Quo præsidii genere cum robustos, carnosos, pingues aequae ac imbecillos, & graciles uti animadverterem, eos præcipue dehortabar, qui valde infirmi, aut longo itinere, morbo, & medicamentis extenuati essent, quibusve propterea nihil erat opportunius, quam requiescere, & enervatum corpus cibo reficere. Atque hi quidem sudationes sibi adversari periculo suo videbant, utpote qui languore, anxietate pectoris, interdum lipothymia inter ipsam sudationem corriperentur. Sed alios complures, qui viribus valerent, rectamque viam in eo remedio adhibendo

se.



sequerentur, *Stupha* mirabiliter adjuvabat: sive rheumaticis affectionibus laborarent, sive diuturno membrorum spasmo, sive œdemate, sive cutis scabiosa labe, sive luis celticæ seminio, quod potissimum in externis partibus redisset.

Et sane tam Veterum, quam Recentiorum observationibus compertum est, pertinaces quosdam morbos a Balneo parum imminui, aut prorsus non vinci, qui citius Sudatorio cedunt, & expugnantur. Atque, ut unum ex plurimis afferam, Celeberrimus Montagnana Balneo *stupham* idcirco præferre solitus fuit, quod a raptoribus aquarum altius membra penetrantur, facilius dolores sedentur, concreti dissolvantur succi, duræque partes emoliantur. Quæ Sudatorii singularis, & præstantissima virtus clarius mea sententia explicari nequit, quam communī exemplo *Distillationum*, quarum altera per Mariae Balneum, uti Pharmacopœi vocant, altera per Balneum Vaporis peragitur. Jam vero si utraque invicem comparetur, prior lenta est, posterior magis expedita. Videlicet, quæ vaporem consti-

*Sudatorii
vis magna
et excelsa
lens.*

40 *DE THERMIS VALDERIANIS*

tuunt calidi humoris guttulae, vim quandam impulsionis, & impetum reperunt, quo subiecta distillationi corpora intime pervadunt, atque dissolvunt. Id omnino perspicuum est in præparatione cornu cervini, quam philosophicam calcinationem appellant. Of sea enim frusta in distillationis opere suspensa sic ab aqueis effluviis penetrantur, ut soluta compage facile in pulvrem redigantur. Sed aquarum Thermalium vaporibus insignis præterea virtus a sale & sulphure accedit; nostræque præcipuam vim a sulphure acquirunt, cuius profecto admiranda efficacitas est. Adeo solertissimi quidam viri, qui hac ætate ad promovendam chymicam artem singulare studium contulerunt, non modo sulphur inter activa principia veluti principem, sed illud unum vere activum elementum esse, aliaque a sulphuris confortio eximias agendi facultates obtinere contendunt. Quamvis autem de puro ac primigenio mixtorum sulphure hoc intelligi velint tamen nullibi magis quam in communi sulphure purum illud ac primigenium abundat. Ut cunque sit, magnam hujus fossilis esse

esse virtutem sat multis experimentis constat. Quæ quidem vis insita sulphuri, ac velut irretita manet, sive ab acido volatili spiritu repeatas, sive ab igneis corpusculis, quæ in resinosa substantia contineantur, ut alii Philosophi sentiunt. Tum vero illud summopere actuosum fieri tradunt, cum in exiguae particulas divisum certo quodam motu ita cietur, & volutatur, ut una consopiti ignis spiritusque excitentur. Verum hæc dicta sunt satis; jam enim propositum nobis est de Stillicidio differere.

Quod genus auxilii ab omnibus propemodum usurpari, eoque perpaucos adjuvari, aliquos etiam vehementer lædi videbam. Etenim vel breviore temporis spatio, quam morbi conditio postularet; vel calidissimum recipere solent; quod siccis præsertim, & atrabilariis adversatur, & qui Lienis, maximeque Jecoris insigni tumore laborent. Sanguinem scilicet ac bilem in hepaticis vasis redundantem, tardoque motu fluentem exagitare, ac nimium calefacere periculosum est. Tum igitur marina spongia Thermalibus satura af-

*Stillici-
dium ther-
mali qui-
bus maxi-
me noxiūmē*

fectam partem diutius foveri jubebam; quæ lenis ac lenta medendi ratio profere succedebat. Alii porro servidis aquis ex alto defluentibus caput supponere non dubitant, etiam si debiles sint, & calidore totius corporis, vel capitinis temperamento prædicti. Quadre pauperculi hominis gravem & acerbum casum a Balneatoribus audivi, qui, ardens Stillicidium dum in vertice capitinis reciperet, tanquam apoplecticus concidit; idemque licet præsentibus axiliis recreari cœpisset, nihilominus superstite aphonia, & alterius brachii torpore in patriam suam miserime delatus est.

*Villarum
Stilli. idū
& mira ef-
ficaciarum.*

Cæterum ad varias & graves, & confirmatas corporis ægritudines egregia supra quam dici possit, Stillicidii virtus est, dummodo id accurate rectoque ordine administretur. Antiquos enim Rheumatismos, Torpedines, Tumores &c. valde imminui, & interdum (quod cætera præsidia minime potuerunt) hoc uno tolli penitus, atque deleri observamus. Quo autem luculentius cognitam perspectamque hujus medicinæ facultatem haberem, ad ea, quæ solitus sum,

sum, vulgaria experimenta me contuli. Ovum gallinaceum in calidores Thermas prope scaturiginem infudi, quod intra binas horas aliquantulum coxit, minus nempe quam sperabam. Et ova quidem obdurescere unquam posse Balneatores negabant; idque saepius iterato tentamine edocti certissime asserebant. Tum ego locum mediocriter concavum in vicinia fontis delegi, in quem exigui aquarum fluctus more Stillicidii cadebant; ibidemque ovum per idem, ut antea, tempus reposui: quo deinde explorato, detractaque portione putaminis occurrit concretum albumen: hinc universum corticem digitis squammatim detraxi, & in plurima fragmenta solidum albumen, & vitellum cultro divisi; sed albumine magis vitellus induruerat. Quod cum animadvertissem, & merito Balneatores admirati essent, eximiam Stillicidii efficacitatem apertissime cognovi; ut, cum liquores ovi sub duro cortice plurimum alterare potuerit, multo vehementius sub cute humani corporis concrecentes succos attenuare ac resolvere valeat: unde etiam impeditæ rudes, rigidæque fibræ ad le-

ni.

nitatem , mollitudinem , & flexibilitatem reducantur. Maximi vero momenti est , quæ Thermalis Stillicidio virtus accedit a sulphure & sale partim fixo , partim volatili. Dum enim calentes illi fluctus assidue in partem aliquam irruunt ac penetrant , id amplius efficitur , ut subtile particulae sulphureæ , & salinæ in eamdem millies repetitis ictibus intrusæ vim suam concitatissimo motu mirabiliter exerceant. Et quidem si Thermales epotæ tantarum sunt virium in resolvendo internarum partium lentore , earumdem efficientiam in Stillicidiis longe majorem esse oportet , quum externis aut parum absconditis partibus adhibentur. Quamvis enim potu assumptionæ celeriter cum sanguine in amplioribus arteriis ferantur , in minimis tamen reticulatis vasculis viscerum , aliarumque solidarum partium lentissime fluunt , ut propemodum quiescere videantur : nihilominus mucilagines liquant , & fibras detergunt , & vias referant ; quod utique excreta materia , morbique remissio demonstrat. Quanto igitur valenter erit actio Stillicidii , ad cuius efficacitatem augendam ille motus , ille im-

pe-

petus, illa virum multarum momenta concurrunt! Hoc autem loco, Vir Humanissime, ne graviter feras alia quædam experimenta in medium afferri ex quibus rei medicæ Studiosi plane intelligent, ab iisdem Thermis vel sine ullo motu, qui sensibus obvius fit, mirandos effectus produci. Primum vivi Bupones cum in calidis prope scaturiginem in fovea collectis mergerentur, brevi eorum carnes ab ossibus secedebant; quod minime fieri in communi aqua ad parem gradum calefacta experientes viri asserebant. Deinde Balneatores, qui ea saepe loca circumdeunt, ubi Thermales ad Torrentem latiore defluxu excurrunt, certo ajebant calceamenta facillime atteri, & consumi; idemque lineis telis sapenumero madefactis accidere. Quibus observationibus edocti periculum fecimus in calculo vesicæ, cuius crassiore quodam fragmine aquis infuso, quamplurimæ sensim particulæ fabulosæ, multa etiam oblonga & mucosa stamina sejungebantur, quorum complexu, & glutino terrestres, vel tartareae partes in lapidis corpus crescere videntur. Sed quiddam manus

Calculi vesicæ thermis infusi; & super his quædam observationes.

46 *DE THERMIS VALDERIANIS*

jus & admirabilius in Thermis Aquif-
granensibus comperit Blondellus : cal-
culi scilicet in his per solidam diem
repositi vel in arenas dissolvuntur , vel
in materiam pulti aut mucilagini simi-
lem rediguntur. Id autem in vesica
ægrotantium , qui aquas bibant , ne-
quaquam fieri posse manifestum est.
Aliqui tamen affirmant calculorum fa-
lebras haustis Thermalibus deleris ut so-
liti asperos emittere , loeves ac perpoli-
tos eo tempore excernant , quo aquis
utantur.

Ista vero , Lancisi Praclarissime ,
vix dum litteris mandavi , cum mi-
hi ipsi diffidere ac dubitare cœpi ,
an præcipua vis solvendi calculum a
Thermalium calore potius quam a fin-
gulari earumdem virtute oriatur. Qua-
propter in eodem lapide , quo tribus
ante annis usus fueram , novum expe-
rimentum suscepi : hic lapis cinericius
est , neque admodum durus ; cuius ge-
neris frequentes calculi ex hominum
vesica extrahuntur. Ejus fragmentum
aqua communi mergebam adeo calefac-
ta , ut tantum non ebulliret. Ecce ti-
bi quasdam particulas , quæ passim se-
cc-

cedunt, longe pauciores, quam in primo experimento; neque ulla prorsus mucosa stamina divelluntur. Sed nova hic dubitatio nobis injecta est, an istud tentamen cum aqua communi, tametsi calidissima, repetitum nos etiam fefellerit. Mutari enim potuit a triennio textura lapidis, aliamque formam adipisci stamina potuerunt; unde aliqua tantum granula solverentur, & aquæ nihil fibratum innataret. Quocirca in recente, ejusdemque naturæ calculo iterandum experimentum putavimus: cuius exitus quandoquidem omnino nihil ab altero discrepavit, propterea singulario illius effectus causam, de qua quærebamus, thermalium virtuti maxime attribuendam esse percepimus. Quæcum ita sint, operæ prætium facturos solertes Medicos existimo, si, quandounque licuerit, hujusmodi periculum facere cum variis Thermalibus aggrediantur: quod cum ex voto successerit, novam insolitamque calculosos homines juvandi rationem suppeditabit. Etsi enim aquarum potus vel raro profit, vel etiam noceat iis, qui vesicæ calculo affecti sunt: calidarum tamen in

ve-

48 DE THERMIS VALDERIANIS

vesicam repetita injectio , aliquod iis
commodum fortasse allatura est ; saltem
hac opera recentes , ac minus duros ,
vel tofaceos lapides paulatim atteri pos-
se verisimile est. Sed mihi quispiam op-
ponet , Thermalēs in vesica diu com-
morari oportere ; quod ob frequentes
mingendi stimulos in calculosis difficilli-
mum est : tum necessum esse , ut puræ
ibidem permaneant , neque a lotio cor-
rumpantur ; quod etiam fieri nullo pac-
to posse videtur. Ita fane : verum hoc
loco accuratius inquirendum minime
suscepimus , quonam artificio & impe-
dimenta tolli queant , & rei propositae
periculum faciendum sit. Sed oblata
occasione , quod nobis obviam verit ,
reticere noluimus ; & siquidem inanes
animo cogitationes versamus , nihil cer-
te effici volumus , quod ægrotis inutile
futurum sit. Ut eo revertamur , unde
paulo nimium digressi sumus ; ex om-
nibus tandem allatis experimentis & ra-
tionibus concludendum aliquando est ,
Thermalēs aquas , quæ ad potum &
immersionem adhibentur , eximiis qui-
dem viribus pollere : Stillicidia tamen
quibusdam iu morbis , quos initio in-
di,

dicavimus, maximam efficacitatem habere.

Nunc venio ad usum atque utilitatem eorum corporum, quæ vulgo *Muffæ* nuncupantur. Cum placentis similes sint, diversis corporis partibus commode admoventur. Ubi applicatae sunt, stragulis diligenter eas obduci oportet, & calida subinde a fontibus petita irrigari, ut earum nativus calor assidue foveatur; tum alteram recentem in alterius frigescens locum opportune apponi. Ubi igitur Luta defiderari diximus, illorum munere fungentes utiliter adhibentur *Muffæ*. Imo vero quod luta calidissima, multoque sulphure, & sale referta esse soleant, propterea ægrotis sæpe molesta nimium atque infesta sunt. Hæ autem *gelatinosæ* placentæ omnino mitissimæ nocere nemini possunt, at quamplurimis mirifice prodeesse. Et primum moderato calore juvant; deinde aquoso vapore sulphureo, & aliquantulum falso; postea substantiæ molitudine ac lenitate. Placuit eorum calorem cum calore viscerum vivi animalis comparare. Thermometri globum intra ventrem majoris nulli gallinacei

*Eorum corp
porum usus,
qua diuffæ
appellan
tur.*

D iii.

50 DE THERMIS VALDERIANIS

injeci; cumque accurate ibi detinerem, liquor altius in hoc tribus solum gradibus quam in *gelatinoso* corpore ascendit; cuius proinde calorem pari gradu esse cum mediocris pulli calore judicavi. Sed ita excellens est horum corporum mollitudo, & lenitas, & anodyna virtus, ut ea cæteris medicamentis præcellere credam. Adde eximiam resolventi facultatem, quæ ab humidis, sulphureis, falsisque effluviis proficiuntur. Itaque præstantissimum remedium est ad obstruetas glandulas, ac tumores, qui dolenter affligant, aliasque partium affectiones alentis & acrioribus succis progenitas. Nam vero commendabilis hujus medicinæ utilitas, sit, ex singulari historia, omniumque consensu approbatæ maxime intellexi. Vir nobilis ex militari ordine gravem iæcum ex bombæ framine supra dorsum pedis receperat, ubi exiguis deinde tumor apparuit; assiduus dolor ægrotum vexabat; vix ullum medicamenti genus prætermissum est; nec acerbitatem doloris ulla unquam lenire topica, nedum tollere potuerunt. Ad septimum mensem cum ægrotatio jam esset perducta, ami-

De illorum
corporum
militare
singularis
historia.

co-



corum consilio Valderium se contulit, ubi eas thermales Spongias adhibere diligentissime coepit, paucisque diebus (rem miram!) hoc uno mitissimo auxilio plane ac per totam ab inveterato & pernolesto morbo convaluit. Ipse mihi hunc eventum illustris, optimique vir judicii narrabat; cum id antea Valderii a Balneorum Ministris, atque hic a Medicis veluti rem memoratu dignam accepisset. Et merito quidem ea sunt hominum memoriæ mandanda, quorum ita secundi exitus fuerunt, ut ægrotum æquæ ac medentium spem, fiduciisque omnem longissime superaverint. Equis enim gravissimæ ac pervicacissimæ ægritudinis tam expeditam, tam celestem, tam perfectam absolutamque curationem expectaverit, quæ vix ac vix quidem in longis acerbisque malis obtinetur, si lente remedia profint? Neminem tamen credo adeo insipientem esse, qui lenissimæ hujus medicinæ partem in agendo virtutem, & velocitatem in omnibus ægrotis requirat. Quamquam diuturno morbo laborantes id maxime peccare confueverunt, quod juvantium medicaminum tarditati diffi-

52 DE THERMIS VALDERIANIS

cillime obsequantur ; unde illa persæpe
negligi , ac penitus dimitti , repudiari
que solent auxilia , quorum diuturnita-
tem si æquo animo ferrent Ægroti , sa-
nitatem aliquando consequerentur . Quod
autem ad Valderianas *Muffas* pertinet ,
dubium mihi non est , quin præter ea ,
quæ nos ipsi vidimus , & ab eximiis
viris accepimus , plurima insuper & me-
morabilia curationum exempla nobis
suppeterent , si tantum in earum admi-
nistratione temporis impenderetur , quan-
tum cujusque morbi ratio postularet .
Revera , me tum presente , aderat Mu-
llier , cuius in suprema parte tibiæ in-
veteratus ac dolens tumor omnem chir-
rurgical opem eluserat : brevem post
usum aquarum *Muffas* adhibere tam
prospero eventu incepit , ut admodum
minueretur ejus moles , & una dolor
in dies remitteret . Cum vero eam
hortarer atque rogarem , ne præmatu-
re Thermas dimitteret , & spem sanita-
tis cito obtinendæ abdicaret , illa inte-
rim tardioris auxilii , et si valde saluta-
ris , pertæsa abiit cum sociis , qui mo-
rae impatientes , necdum bene curati
nihil magis , quam de reditu in pa-
triam ,

triām, quotidie cogitare & loqui solebant.

Prudentes quidem viri, quibus certa quædam ratio in curandis morbis constituta est; quos insuper neque supellex, neque famulatus deficit, vix unquam à Thermis ante statutum tempus recedunt: cæteri vero, quorum longe major est numerus, sive a diutinæ medicinæ fastidio, sive a loci conditione citius, quam oportet, revoquantur. Ibi enim pauca sunt, angusta, incomta, viliaque hospitia, multaque ad vitam & corporis cultum necessaria defunt, quæ si bi proinde ab unoquoque comparanda, & illuc per salebrosas difficilesque vias convehenda sunt. Locus plane desertus; horrida solitudo; altissimæ undique rupes; nec nisi sylvestres arbores cernuntur, pinus in primis, abies, & fagus. Vix ullæ transvolitant aves. Rupicapræ vero turmatim huc illuc vagantur, ut etiam plures, quam quinquaginta, ultra Balneorum ædes aliquando apparuerint, si regionis hominibus fides est habenda. Quin ad ipsas Thermales hyemali potissimum tempestate accedunt, quando remotis li-

*Digressio de
Balneariis
Valderii,
ejusque loci
positione.*

D 3 gneis

gneis Aquæductibus in proximum. Torrentem Gessium aquæ per clivum latissime defluunt. Ubi igitur saxis interjecta sunt spatha , quæ calidis undis alluuntur , plantæ ubertim virescunt , ipsisque Rupicapræ pascuntur , & calidas bibunt. Concretiones quoque *gelatinosas* lingunt ; quod argumento esse videtur iis aliquantulum sal sudinis inesse ; cum hæc avidissima salis animalia , itemque sagacissima sint. Notant enim , & observant attentis oculis Pastores , cum super arida saxa manipulos salis pecori spargunt & saturato grege abeunt ; eoque protinus se conferunt , ut silices lingant. Similiter eos lapides lambunt , quos antea Thermæ irrigarunt ; quemadmodum testantur Venatores , qui circum ea loca ad Rupicapras sclopeto enecandas consulto veniunt. Manent enim Balnearia hyenalibus deserta mensibus ; omnesque ministri , & hospites Valderium se recipiunt. Sed ista obiter attigimus , nam eo spectabat instituta oratio , ut Balneo- rum Rectores primum ad instaurandas aediculas , & re omni ad vitam necelfaria muniendas hortaremur : postea ,

Instauran-
das esse bal-
neas. & ne-
cessariis re-
bis mu-
niciendas.

ut

ut diversoria pro Balneis , pro Sudato-
riis , ac Stillicidiis aptiora concinnio-
raque parari current ; tum denique am-
bulacrum ad hospitum utilitatem , solati-
um , & qualemcumque oblectationem
pro loci positione longe lateque dilata-
ri. Nec sine gravi caussa opportunitas
domicili , & vietus queritur ab adve-
nis in ea plaga a mercaturis aliena , sub
frigido & mutabili cœlo , quod modo
ventis , modo nebulae , modo imbris
subjacet. Idcirco calidore anni tem-
pestate itur ad Valderienses Thermas ;
duoque sunt præcipui menses Julius &
Augustus , quibus in eo loco Balneo-
rum caussa versari commode liceat.
Quamquam id etiam temporis frigidit
contingunt dies , ut nive aliquando obri-
guerit ea regio in eunte Augusto , quod
tum præsentes quidam viri narrabant.
Ut inopes præterea peculiari domicilio
exciperentur , providendum esset ; qui-
bus ea benevole , liberaliterque præ-
beantur , quæ ad viatum , & curandas
corporis ægritudines sunt necessaria. Utinam
vero hi , qui opibus abundant , &
qui præ cæteris Thermarum auxilio con-
fancscunt , beneficii memoriam pia in

D 4 Ege-

56 DE THERMIS VALDERIANIS

Egenos liberalitate recolerent! Sic enim initium fieret ærarii , quod in singulos annos pecuniarum accessione cumulatum sustentandis pauperibus impostorum sufficeret.

Eximus quoque Medicus Valderii commoretur , qui præstituto tempore ad Balnea se conferat, ut omnes ex eo consilium de adhibendis Thermis exquirere possint , etiam ii , qui normam litteris consignatam aliunde attulerint. Quoties enim nobiles viri excellentium Medicorum documentis muniti ad minerales aquas veniunt , ubi aliquis usu & experientia eruditus aliam prorsus ineundam esse rationem demonstrat ? Inter potum & balneum quam sæpe multa eveniunt , quæ perturbant ægrotos , & moderatorem requirunt ? Quid , si aliqui omnino infirmi sint ? si gravi morbo derepente corripiantur ? Adesse eum igitur oportet , qui Balneorum Medicus vulgo nominatur. Hic enim Thermarum effectus observabit : hic a recta via deflectentes ægros in eamdem reducit : hic celeriter & assidue cujusque malis subveniet : hic dirigendis pauperibus liberaliter operam dabit , qui præsenti

con-



confilio destituti a Thermis perperam usurpati deteriore valetudine s̄epissime recedunt. His vero Medici officiis cætera profecto adj̄ingenda esse Artis subsidia, viros nempe conficiendis pharmacis, & chirurgiæ administrandæ idoneos qui inficietur?

Ut omnia brevibus perstringam, singulari studio entendum est, ut in hisce Balneariis præsto sint ea, quæ ad usum Thermarum, ad rem cibarium, ad hospitia, eorumque supellec̄tilem, ad curam corporis, vitæque rationem requiruntur. In hoc enim permagni momenti negotio nec diligentiae, nec labori, neque ullis sumtibus parcendum est; ut rustici non modo, & plebeii homines, sed plures etiam divites, sed magnates, sed illustres matronæ ad hæc salutaria præsidia confugiant, minimeque ab istarum alpium horrore, desertisque locis absterreatur. Ego vero quotiescumque in eo tractu Valderianæ Vallis altas & salebrosas rupes, annosas in saxis defixas stirpes, & passim errantium ferarum greges circumspicerem; ubi coelum inconstans; ubi propinquæ ante oculos obversantur nives; ubi

D S. Cunc-

58 DE THERMIS VALDERIANIS

cuncta perpetuo silent; neque ullus nisi
a Torrente rumor fluctuantum inter la-
pides aquarum; miræque interea virtu-
tis scaturientes Thermas considerarem,
de hac speciatim regione locutus mihi
videbatur, cum diceret Plinius: * *Nec*
silvae quidem, horridiorque naturæ fa-
cies medicamentis caret, sacra illa pa-
rrente rerum omnium nunquam non re-
media disponente homini, ut medicina
fieret etiam solitudo ipsa.

* *Nat.*
Hist. lib.
24. c. I.

Habes, Vir Amplissime, Valderien-
sum Thermarum hoc qualecunque his-
toricum specimen; cum animus non es-
set integrum absolutamque tractationem
fuscipere. Id namque muneris jamdu-
dum explevit in eo Libro Cl. Barifa-
nus, quem italico sermone conscripsit.
Amœno etenim, omnibusque flosculis
ornato stylo, sed pressis veterum ves-
tigiis universam Thermarum historiam,
proprietas, & usum cumulatissime tra-
didit. Neque vero illa omnia indiscri-
minatim & confuse, sed præcipua tan-
rum maximeque memorabilia collegi,
nostrisque observationibus, & experi-
mentis servato rerum ordine adjeci.
Qua scribendi ratione primum medici-
nae

næ Studioſis consulere ; deinde illorum,
qui brevibus commentariis delectantur,
quamdam mihi gratiam conciliare volui.
Quamobrem cæteros etiam Valderianos
fontes , vel hac ætate neglectos , vel
minus usitatos prætermisi ; de quibus
tamen aliquid me scripturum constitui ,
ſi tu ad hujus Opusculi ſupplementum
id neceſſarium arbitreris. Interim Diſ-
ſertationem hanc tibi perlegendam mit-
to haerenti incertoque animo, quem fuſ-
cepti laboriſ exitum expectem quam-
quam , tuo ſapienti confilio ſi me ad-
juveris , exigui operis fructum mihi vel
uberriuum polliceor. Vale.

Taurini Prid. Id. Sept.
M. DCCXVIII.





D E



DE THERMIS
VALDERIANIS
DISSERTATIO II.

AMPLISSIMO VIRO
JOHANNI MARIAE LANCISIO
CLEMENTIS XI.
PONTIFICIS MAXIMI
ARCHIATRO.

JOH. FANTONUS S. P.

Uod meam Dissertatio-
nem de Valderianis Ther-
mis gratam acceptamque
habueris; atque optimæ
præcepta de hoc scriben-
di genere perhumaniter mihi tradideris;
cum

cum tibi maximas ago gratias & habeōs
tum pleraque omnia de tua sententia
me esse facturum spondeo. Hortaris
quoque & admones, ut reliquos Val-
derii fontes ne silentio præteream; ne-
que hujus texendæ appendicis curam
otiosus aliquando refugiam. Non equi-
dem renuo, non repugno; quin imo
demandatum mihi onus alacriore ani-
mo aggredior; ex quo nostras commen-
tationes non probasti solum, sed etiam
ad illas perficiendas tuis monitis con-
siisque magnum mihi adjumentum at-
tulisti.

*Fons vulgo
Vitriolatus*

Initium faciam ab exiguo quodam
fonte, qui post hominum nostrorum
memoriam *Vitriolatus* nuncupatur. Pau-
lo supra calidores Thermas originem
habet; difficilis ad eum accessus est ob
altitudinem & asperitatem loci; ab aliis
fontibus differt, quod moderato calore
gaudeat; tametsi non unus semper idem-
que repor sit. Adhibito enim Thermo-
metro nunc quinque, nunc sex, sep-
temve, ad summum gradibus octo li-
quor ascendit. Aliæ porro Thermales
Vitriolata minus graves sunt; quæ mi-
nor gravitas in majorem earumdem ca-
lorem

lorem referenda est. Tantum vero abest, ut illa Sutorio atramento abundet, acidoque sapore gustum afficiat, sicut aliqui litteris prodiderunt, ut ab ea nullus plane sapor emanet, qui *vitriolici*, vel acidi salis vim aliquam vel levissimam exerat. Præterea charta cærulea supra fontem proxime extensa, ibique diutius retenta neque ab illius vapore immutatur, neque irrigata latice ullam coloris alterationem subit. Nos vero ad inquirendam accuratius aquæ naturam syrumpum violaceum, solutionem mercurii sublimati, & gallæ tincturam iterum ac saepius adhibuimus: neque tamen acidi, neque alkalici salis, neque *vitrioli*, neque aliorum fossilium notas deprehendimus. Russeos quidem lapides in defluxu aquarum offendi, qui ferrugineæ venæ indicia dare videntur. Hæc, si ulla est, minima prorsus est; quoniam cum pulvere gallæ a me explorata nullo pacto se patefecit. Quare existimo quamdam esse speciem argillæ, quam aquæ in sinu montis lambere potuerint: quæ dum leniter effluunt, illa subsidit, & obvios lapides quadam veluti vernice obducit. Quod

fi

64 DE THERMIS VALDERIANIS

si eam martialis materiae quodammodo participem esse quisquam contenderit, hoc utique dabimus; veruntamen ista ferri substantia, & virtus omnino abscondita in terrena parte argillae nihilo præstantiores Thermas efficiet.

*Fons alter
exiguis.*

Paucis infra hunc fontem passibus alter exoritur minor, terræ glebis muscosis alte circundatus, densisque herbis ac stipulis cooperitus; qui a calidioribus Thermis cum proprius absit, ideo superiori calidior est. Revera liquor Thermometri sublimius in eo viginti & amplius gradibus ferebatur. Plurimi albentes flocculi ad ipsam scaturiginem calido latice innatabant, quos ibidem concrevisse longo temporis spatio verisimile est, ob eam præcipue caussam, quod locus ille, uti diximus, glebis circumseptus esset, tum plantis, culmisque contectus; ab his enim cohibus vapor sulphureus paulatim flocculos formavit. Hinc etiam suspicari licet nec superiorem fontem hoc prorsus elemento sulphureo destitui; quod tamen in flocculos con crescere non potuit, quia fons in aperto, & pro patulo loco scaturiat. Sed paucus ab utroque hal-

halitus sulphuris emanat , quandoquidem gustum & odoratum fugit.

Verum de inferiore satis , quem pernitus omnes despiciunt. Redeamus ad *Vitriolum* , quem a nonnullis Medicis valde commendari audio in ea præfer-
 tim corporum conditione , ut neque ca-
 lefieri , neque siccari debeant. Et sane
 temperatissimus est , ad potum percom-
 modus atque ad urinam lenissime cien-
 dam idoneus ; quem propterea melan-
 cholicis , & atrabilariis convenire sta-
 tuunt , & quibus acer & adustus san-
 guis sit ; tum in calida Renum intem-
 perie , in Dysuria , in tartareis & are-
 nosis affectionibus. Unde quam pluri-
 mi nominis celebritate permoti hunc
 libenter adeunt , tametsi nullum biben-
 di ordinem servant. Nos autem hujus
 aquæ proprietates , quas alii ad *vitrio-*
lum falso retulerunt , ab earum tempore ,
 ac tantillo sulphuris , & salis , potiori ju-
 re repetendas ducimus.

Hæc de Aquis citra Torrentem. In
 parte adversa Rupis tres parvo intervallo
 dissipati fontes prodeunt. Primus ce-
 teris spectabilior *S. Lucia* fons ; alter
 minoris momenti *la Garagna* Incolis

*Usus illius
 farcis, qui
 falso vitriola
 laurus cens
 setur*

fons S. Lluciae.

66 DE THERMIS VALDERIANIS

vocatur; tertium nullo nomine, nulloque pretio habitum Balneatores indicabant; cuius utilitas, siqua olim cognita fuit, sua & patrum memoria penitus exciderat. Primo *Luciae* nomen inditum fuisse antiquis temporibus ajebant, quod ejus latex tanquam insignis oculorum medicina vulgo haberetur; eoque nunc etiam rustici oculos aliquando lavant. Et quamquam hoc inane collyrium prope ab omnibus negligatur, attamen ejusdem Laudatores audivimus, qui saepius exploratam fuisse eximiam illius virtutem dicerent: neque mirum aut rarum esse aliquibus nihil profusse, cum fere illarum ægrotationum medela queratur, quæ immedicabiles sunt. Addebat eo remedio diutius utendum, quod facere nostri non solent, prisci vero diligenter fecerunt. Adeo difficile est ex animis hominum insitam vistitamque opinionem prorsus evellere. Vir quidam, vidente me, imbecillos jamdudum oculos hisce aquis persæperigabat: quod frustra fieri a me etiam atque etiam admonitus, ac nullum re ipsa levamen adeptus, spem omnem claræ visionis recuperandæ tandem abjecit.



jecit. Hæc singularis, & mirifica aquarum virtus in oculos aliarum quoque regionum fontibus falso attributa est: fuit enim hoc medicinæ genus posteritati sine certa experientia transmissum. Cujusmodi porro fuisse constat calidos fontes, quos in villa Ciceronis ad litus puteolanum paulo post ejus obitum compertos Plinius commemorat, & a quodam Tullii liberto hisce versibus commendatos:

Hic etiam apparent lymphæ non ante reperta,

Languida qua infuso lumina rorè levant.

Sed aliis est aquarum S. Lucia usus, hicque communiter receptus. Peracto scilicet a majoribus Thermis Potus, Balnei, Sudationis, ac Stillicidii curriculo, huc demum lavandi caufsa venitur. Et nihil profecto temperatius hoc balneo, nihil lenius, nihilque suavius; cuius calorem cum aliquoties Thermo metro explorarem, modo ad sexdecim, modo ad viginti gradus surgebat. Quare hujus Balnei calor fere æqualis est calori viscerum minoris pulli gallinacei.

Ego sæpe ad illum Fontem adibam,

E 2

quo

Balnei ad
fontem S.
Lucia quæ
litates.

quo tempore Valderianis aquis commo-
ratus sum; ejusque laticem contrectanti
magis oleaceus, quam alia quælibet bal-
neorum aqua, videbatur; ut propterea
nullo modo dubitandum sit, quin copiosæ
sulphurei tremoris particulae in illo conti-
neantur; ex quarum congerie cum plurimi
albentes flocculi, tum *gelatinosa*, &
visceralia quædam corpora fiunt, quæ in
aquæductu reperiuntur. Quæ ibi con-
cretiones ex eo facile formantur, quod
canalis fere horizontaliter positus labro
committitur, ut aqua proinde motu le-
nissimo defluat. Quamquam hæc cor-
pora non tantum ex sulphurea, & ter-
restri aquarum materia constare puto,
sed etiam ex eo lentore, qui a deci-
duis herbis & frondibus in fontis alveo
relinquitur; unde viridem colorem ac-
quirunt. Lutum quoddam prætero in
aquæ decursu obvium, quod ad ali-
quam utilitatem ægre traduci potest,
cum vix ullo calore præditum sit. Quod
vero ad salium qualitatem, Thermalis
hæc eum aliis longe calidioribus plane
convenit; quandoquidem cum mercu-
rii sublimati solutione permista paucis
horæ momentis albicanter, & cum
sy-

fyrupo violato viridem colorem statim adipiscitur.

Quapropter illa etiam ad potum esset aptissima , si altior in clivo cuniculus fieret , ex quo eadem purior manaret. Ægrotis enim perutilis foret habitu tenui , ac delicato sensu præditis , & quibus morbi ratione a ferventibus & magis actuosis Thermis abstinentum est. Sed balneo , ut ajebam , nihil haberi suavius , ac ne utilius quidem potest ob ejus temorem , & oleaceam mollitudinem cum salis & sulphuris virtute conjunctam. Gracilibus præsertim , & calidioris naturæ hominibus , tum in rheumatismo , in salsa vel acida sanguinis dyscrasia , in prurigine cutis , in herpetica vel scabiosa labe magnopere profuturum existimo. Diutius tamen eo utendum esset , quemadmodum Lucensia , & Pisana usurpantur. In Balneo enim ad pisanos colles triginta dierum spatio Ægros lavare meminit Autor MS. Codicis , cuius epitome in Diarii Italici XI. Libro legitur : quin narrat , eos olim quadraginta vel quinquaginta diebus balneare solitos fuisse , ideoque ex iis

*Ufus bal-
nei S. Lu-
cie, &
egregia vira
ius,*

E 3 quam-

quamplurimos omnino sanari. Hinc eos irridet Medicos , qui unius horæ moram in temperatis aquis definiunt , ubi multo diutius manendum esse constituit. Quid , cum certissime affirmet quosdam scabiosos ad octavum , aut decimum diem continenter diu noctuque ibidem immorari ? qui , si antea recedant , ex decadentibus crustis vexantur. Et quidem in arido aere permolesta fit ulcerose cutis contractio , ipsaque indumenta plagas exasperant; adeo ut aquis denuo immergi , ibique manere oporteat , donec absterfa , & munda satis ulcuseula carne impleantur , & pellicula contingantur. Itaque occasio assiduae diuturnæque balneationis efficit , ut mira ejusdem virtus , & ægrorum in lavando tolerantia innotesceret. Sel illa profecto memorabilior historia , quæ ab eodem Scriptore , tum a Clarissimo Zambeccario tradita est in eo Tractatu de Pisanis Balneis , quem superioribus annis evulgavit. Mendicus quidam Brixianus cum tetra scabie ulcerosa miserime se haberet , ad illa balnea se consultit: semel demersus solidum in iis mensim exegit , totoque eo tempore erogata

Pisania
per hunc
Brixiani ,
qui solidum
mensim in
pisanis bal-
neis exegit .

gata stipe vicitavit ; noctu vero , ne
superiora corporis parte , cum dormita-
ret , in aquas prolaberetur , fune alli-
gatus muro retinebatur : is demum sa-
nitati restitutus e labro exivit , non sua
sponte , sed Praefecto balneorum juben-
te expulsus . Verum tamen in hunc mo-
rem lavare robustissimis quidem homini-
bus liceat , omnia vita incommoda , labo-
resque perpeti assuetis : nemini vero sen-
tentiam roganti id pariter faciendum
suaderem ; nam longe satius est aliquam
doloris molestiam Ægrotos patienter fer-
re , qui subinde repetita corporis immer-
sione majus in dies levamen , ac deni-
que sanitatem consequentur . Ut au-
tem ad balneum *S. Lucia* redeam , dua-
rum triumve horarum spatio quotidiana-
nam in eo lotionem multis tolerabilem
puto ; ejusdemque usum ad plures heb-
domadas utiliter posse perduci ; imo
contumacissimi quidam morbi , quorum
tutior in temperatis balneis medicina est ,
aliter percurari vix posse videntur . Ne-
que ex longiore mora verendum est ,
ne cutis ulcerosa fiat ; cum ejus latex
propter mollitudinem atque teporem fa-
lutaris linimenti loco sit . Id autem ge-

*Iterum de
usu balnei
S. Lucia.*

E 4 nus

nus ulcera ab immodico Thermarum calore , vel acritudine solent excitari. Quocirca in calidioribus Valderianis si- qui nimium permanferint , ut eo cutis malo afficiantur (quod tamen nescio an cuiquam acciderit) hi præfens auxilium in *S. Lucia* balneo certissime reperient. Ceterum Ægrotis prope omnibus , ma- ximeque gracilibus & strigosis opus esse judico , ut biduo aut triduo hoc idem Solium ingrediantur , posteaquam satis in superioribus Thermis laverint : ut nempe universo corpori temperies , cu- ti autem lenitas ac mollitudo concilie- tur.

*Eiusdem
balnei ne-
cessaria ins-
eratatio.*

At enim ad hoc Balneum quoties- cunque accederem , ejusdemque exi- mias qualitates animo reputarem , æger- rime terebam idoneum lavationi locum deesse ; utilissimumque laticem ita con- temni , ut parvo & vili Labro recipi- retur. Sed neque ullum ibi Domici- lium , ullumque Tectum est ; ideoque ad hoc lavacrum vix ter aut quater ve- nire solent Ægroti. Lectulum illuc af- portari quidam curant , ubi loti recuba- re queant ; quæ res aliis cum nimium operosa est , tum plerique alii idonea ad id

id supellec̄tile destituūntur. Adde hæc extemporalia , & quasi tumultuaria præsidia adversus variam cœli intemperiem vix quicquam valere. Insuper quisquis Balneum ingredi cupit , frondibus primum in casulæ speciem implicatis Labrum cooperiri studet , quo se se ab aeris inclemencia tueatur. Eorum sane permagni interest , quorum curæ Balnearia credita sunt , hæc ipsa refici , instaurarique , ut exterorum , nobiliumque virorum multitudo ad Balneas invitetur. Sed ipsi quominus id perficiant , & calamitatem temporum , & loci paupertatem causantur. Quocirca admodum vereor , ut Valderianam Vallem aliquando florentem & beatam videamus : & , quod alias admonuimus , pleraque ad vitæ commoda , & victus rationem spectantia Administrorum studio ac labore compara nda esse ; nunc palam aperteque dicere non dubitamus , eam Balneorum instaurationem , quæ sine magnis sump tibus perfici nequeat , ad Summorum Principum munificentiam pertinere.

E §

Sll.

*Fons alter
exiguus,
aliisque
profundus
exoleto.*

Supereft , ut de altero minori Fonte , qui parum a superiore diffitus est , paucula summatim dicamus . Hic igitur cum Balneo *S. Luciae* comparatus , etiæ tepens in speciem videatur , paulo tamen calidior Thermometri experimento deprehenditur ; eumque non judicio sensus , at conjectura sub falso esse assequimur ; quod sicuti ad alias majores Thermas , ita ad hunc fontem Rupicaprae interdum veniant . Porro autem hujus aquæ salem haudquaquam ab eo diversum esse , qui cæteris Thermalibus continetur , facile judicamus . Ceterum neque gallæ pulvis , neque acidi liquores , neque alkalici ejus laticem immutant . Nihil de hujus virtute dicam , quia nunquam ad Balneum , rarissimeque ad Potum usurpatur . Enim vero ubi plures sunt præcellentes atque uberrimi fontes , quis ejus desiderio moveatur , si quando omnino neglectus , quin etiam disperditus sit ? Idem de tertio anonymo jam penitus exoleto , tum de aliis quibusdam exiguis tepentium aquarum scatebris potiori jure dicendum est .

Interim hæc nostra de calidis Aquis ha-

habita oratio frigidas in mentem revo-
cat, quæ plurimæ, atque pellucidæ ab
iisdem oriuntur Rupibus, unde Ther-
males profiliunt. Earum aliæ salubres,
aliæ hominum valetudini adversæ di-
cuntur; sive ob earum algorem, &
cruditatem; sive quod pravam occul-
tam aliam qualitatem in venis montium
recepient. Sed ab illarum effectis hæc
prius cognitio deducenda est, quam
causæ pravitatis investigentur. Cum
autem locus ille habitatoribus careat,
& quarta dumtaxat anni parte hospites
admittat; fieri vix potest, ut aquarum
bonitas, vel malitia illorum usu & ex-
perientia comprobetur, qui ad panem
conficiendum Thermalibus utuntur, &
vini potu multo magis quam frigidis
aquis delectantur. Quod si coquendis
cibis frigidas adhibere velis, facile po-
test vitiosa qualitas vi ignis, ipsaque
coctione emendari. Neque vero infi-
ciamur ejusmodi latices, uti ajunt, hu-
manæ naturæ inimicos esse, utpote si-
miles eorum fontium, qui ab excelsis,
& nivosis aliarum regionum montibus in-
subjectas valles, finitimamque planitem
decurrunt. Hi enim, præterquamquod
gras

Frigidi
fontes in vi-
cinia cali-
dorum.

graves advenis esse solent, incolas etiam gutturosos efficiunt. Idem morbus, Valderiensem illum tractum siqui homines habitarent, eis, ut opinor, familiaris esset: qui tamen præsentem medicinam in Thermalibus aquis invenirent.

Sed linquamus hæc, ut, quod in eo solitudinis loco relaxandi animi gratia a nobis suscepimus est, tibi aperiam. Tepentes aquas cum frigidis comparabam sciendi cupidus, quantum hæ ab illarum tempore recederent. Unum *S. Lucia* fontem delegi; quorū enim cum frigidis omnes ad unum tepidos conculissem? Primum mersi Thermometrum in aquam Balnei; & liquor sexdecim gradus ascendit supra gradum, in quo erat ante immersionem. Ad binas deinde in vicinia frigidas veni & merso in primam Thermometro quinos tantum gradus, in alteram vero septendecim liquor descendit. Rursus ad olivum montis accessi, unde calidiores Thermæ prodeunt: ibi enim frigida nascitur, quam stomacho valde infensam esse Balneatores dicebant. Fluit illa e cuniculo in ampliorem cavernam, quæ lapide latissimo tegitur; in quem

lo-

*Tepentium
equarem
cum frigi-
dis compa-
ratio.*

locum demisso Thermometri globo minor gradibus quindecim. liquoris altitudo facta est. Postremo in remotiore a Thermis scaturigine periculum feci, in qua duobus & viginti gradibus magis, quam in aere, depresso liquorem animadvertis.

Veruntamen, inquit, quænam ex ista diligentí indagatione utilitas? Initio quidem nulla, ut sape fit, cum multo labore nihil conficimus; id autem otiose factitabam. Postea vero mecum ipse cogitare cœpi, quantus ille calor subterraneus sit, a quo fontes longissime abeentes tepidi scaturiunt: cum alii econtrario ita gelidi prodeant, ut in his triginta, quin imo quadraginta fere gradus, quam in tepentibus aquis, liquor Thermometri humilius descendat. Quanto porro vehementior ille idem reputandus est ignis, si ad eas Thermas aquarum affluentia spectabiles attendamus, quarum urens calor est, ut digitis tolerari nequeat! Quod si maxima illius efficacitas, & virtus admirabilis est, multo mirabilior ejus perennitas. Caussas quidem assequimur aquarum assidue, & indesinenter ex-

*Ignis sub-
terranei une-
de calidissi-
mi fontes
scaturiunt
admiranda
perennitas.*

mon-

montibus defluentium, easque omnium doctissime illustravit Cl. Vallisnerius. Sed quis explicuerit, aut potius animo comprehendenter hujus ignis originem perpetuo in profundo specu ardantis, qui e novo pabulo tantumdem revivis-
cit, quantum ex hoc ipso continenter absuntur; quique interrupta temporum successione post omnem memoriam per-
severat? Quemadmodum ille in terræ visceribus gignatur, certissimis docemur philosophorum experimentis: at obscu-
risima ejusdem perpetuitatis ratio adhuc ignota est, hominumque ingenia exer-
cet. Vasti per me sint in montibus gurgites, ubi sulphur, ubi ferrum, ubi *marchasite*, & bituminosa corpora; ubi lapis calcarius, aut calaminaris, ubi demum spiritus quidam, vel sal acidus abundet, a quo memorati fomites caloris assidue excitentur. Sed quid haec ostendunt tantummodo ibi esse æstum, ibi calorem quoque vehementem, ac diuturnum; verum quâ ignis ad pluri-
ma saecula sine ulla intermissione vigere queat, non facile demonstrant. At enim, opinor, illa omni materia, ex qua assiduus calor extricatur, tandem ab-

*Aquarum
ferventium
& frigida-
rum mutua
conversio.*

absumpta , fieri aliquando necessum erit ,
ut , quæ ab omni ævo calidissimæ aquæ
erumpunt , primum in tepidas , deinde
etiam in frigidas commutentur : sicuti
dubitare non possumus , quin venturo
tempore gelidi quidam Fontes in Ther-
mas convertantur ; quod utique præte-
rita jam ætate contigisse nonnulli tra-
diderunt.

Denique a Valderiano tractu prius-
quam discederem , ab incolis scicitabar ,
an ulla insuper minerales aquas circum-
ea loca novissent . Atque in cacumine
proximi montis scaturiginem indicabant ,
quæ initio albescit , suoque in defluxu
limpida fit . Quod procul dubio intel-
lectu facillimum est , siquidem aqua ema-
nans albidam terram secum abripit ,
quæ ea rapidius erumpente diffunditur ,
tardo vero motu fluente delabitur . A-
lli , qui eam vallem inhabitant , qua iter
est in charturiense Coenobium , ultra hu-
jus monasterii sedem quosdam montes
ostendebant , unde medicinales aquæ
olim prodirent : sed , nescio qua homi-
num malitia , easdem asserebant distur-
batis esse , aut consepultas . Animus
erat trajectis rupibus ad Vinadenses
Ther-

Thermas Valderio me conferre , nisi
præter spem oblata esset occasio mutan-
di consilii. Cum iis autem inito ser-
mone , qui tum Valderii , tum Vinadii
Balneas bene sibi cognitas atque explo-
ratas esse dicerent , nihil certum colli-
gere potui. Vinadenses ajebant magis
calefacere & siccare , quam Valderia-
nas , & in resolvendis tumoribus præ-
cellere ; præterea sulphureis partibus
præpollere , tum quod graviorem ha-
litum effundant ; tum quod argentei
numimi in eas injecti obscuriores colo-
rem acquirant. Deinde apud Vinaden-
ses panem confici præstantiorem , quam
apud Valderianos , cum ab utrisque
adhibeantur Thermæ. Alii vero hæc
fere omnia negabant ; ac tantum eos
fontes Vinadii calidiores , & magis ful-
phuratos esse concedebant , ubi luta re-
periuntur , ceteros Valderianis virtute &
efficacia cedere. Sed de Lutis quoque
res est inter eos controversa ; quidam
enim ibi congenita , aliqui contra a
Diniensibus in Gallo - Provincia Balneis
isthuc transvecta fuisse dicunt ; quod
memoriae proditum a majoribus sit. No-
bis vero illorum autoritas majoris mo-
menti

*Therma-
rum Vina-
densium
cum Valde-
rianis col-
latio.*

menti tunc esse videbatur , qui Ther-
marum collatione habita de utrisque ju-
dicium Medici experientissimi tulissent ,
vel Melani , vel Maisi , vel Alberti , qui
Medicinam in ea dudum regione , sum-
maque cum laude excoluerint . Hi au-
tem peritissimi viri inter Vinadenses &
Valderianas nihil esse discriminis credi-
derunt . Sed quoniam veteres Medici
mineralium aquarum naturam ex falla-
cibus notis plerumque deduxerunt , id
circo earum sententiis , nisi post diligen-
tem , & accuratam rerum indaginem ,
plane assentiri nolui . Quare , cum ab
eximio viro D. Javello , qui eamdem
disciplinam Vinadii profitetur , de iis
Thermalibus nonnulla quæsissem , is mihi
quemdam salem juxta scaturigines
concretum , atque a se ipso collectum
perhumaniter misit . Sal iste vix ullis
terrenis partibus permistus , valdeque
falsus est ; neque cum acidis liquoribus
fermentescit . Quis igitur non videt a
Valderianis natura & quantitate faliis Vi-
nadenses plurimum discrepare ? ut proin-
de vix dubitem , quin aliae earumdem
Thermalium varietates factis experimen-
tis , & observationibus dignosci possint .

F Sed

Exh. 11

Sed finem scribendi nunc dénum fieri tempus est , præsertim quod a proposito argumento me longius abesse animadvertam. Id unum , Vir Amplissime , reliquum est , quod majorem in modum peto abs te , & obtestor , ut , alteram hanc tuo consilio susceptam Dissertationem posteaquam accurate perlegaris , sapientissimum tuum judicium synnero , ut foles , animo ad me scribas . Vale.

*Auguste Taurinorum. Non. Decemb.
MDCCXVIII.*


F I N I S.

Ue 1703

X2536456

ny





DE THERMIS
VALDERIANIS
DISSERTATIONES

D U A.

AUTORE JOHANNE FANTONO,
REGII PRINCIPIS PEDEMONTII
MEDICO ORDINARIO,
Et in TAURINENSÌ Universitate
Practice Medicina Professore.



GENEVÆ,
Apud MARCUM-MICHAËLEM BOUSQUET
ET SOCIOS.

M. DCC. XXV.